

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eucharistia d
cum uariis

Cotidie eucharistie communionem percipere nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus suadeo et hortor, si tamen mens sine uoluntate peccandi sit. Nam habentem adhuc uoluntatem peccandi, grauari magis dico eucharistie perceptione quam purgari. Et ideo quamuis peccato quis mordeatur, peccandi tamen de cetero non habeat uoluntatem et communicaturus satisfaciat lacrimis et oracionibus, et confidens de Domini misericordia qui confessione peccati pie peccata donare consueuit, accedat ad eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo quem capitalia et mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia peccata uel crimina post baptismum grauant, hortor prius publica penitencia satisfacere et ita sacerdotis iudicio reconciliatum communicatione sociare, si uult non ad iudicium sed ad condempnacionem sui eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus.

Augustinus libro de ecclesiasticis dogmatibus.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

hortor] horror C; nam] nec C; perceptione] perceptionem B C; mordeatur] morderatur v² L¹ L²; qui] quidem (*cor. sub lin.*) C; confessione] confessionem B; mortalia *om.* P V¹ V² L¹ L²; sociare] soare (*cor. supra lin.*) M; Augustinus] in *add.* P V¹ V² L¹ L²